

Duos maxime fontes morborum statuunt: unum ex ipsa ægrotantis mente ortum, quæ desideret quidpiam, ac tandiu corpus ægrum vexet, dum re desiderata potiatur. Putant enim inesse in hominum unoquoque innata quædam desideria, sæpe ipsis ignota, quibus singulorum felicitas contineatur. Ad ejusmodi desideria & innatas appetitiones cognoscendas adhibent hariosos, quibus hanc divinitus concessam facultatem arbitrantur, ut animorum intimos recessus pervideant. Illi, quodcumque primum occurrit, aut ex quo fieri quæstum aliquem posse suspicantur, ab ægro desiderari pronunciant. Nec dubitant parentes, amici, & consanguinei ægrotantis, quidquid illud sit, quantivis pretii, comparare ac largiri ægro, nunquam postea reposcendum. Ille